D. SALOMO CONSTANTINVS
TITIVS
ANATOM. ET BOTAN. PROF. PVBL. ORDIN.

ORDINIS MEDICORVM WITTEBERGENSIS

H. T.

DECANVS

AD

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

PRO

LICENTIATI MEDICINAE
HONORIBVS
CONSEQVENDIS

A

CAROLO DAVIDE AMANDO KRIEGEL
OEDERANO - HERMVNDVRO
MEDICINAE CANDIDATO

A. D. 18. SEPTBR. 1795.

H. L. Q. C.

HABENDAM

INVITAT.

Experimentorum Ticinenſium, in quibus Diabeticorum vrina ſub examen vocatur, enarratio cum epicriſi.

PROLVSIO III.

Quae de diabete inſipido reſtant tentamina, iam addamus, poſtea ad reliqua tranſituri.

Exp. 14. Lotii huius librae ſex, vnciae nouem, in balneo arenae deſtillationi commiſſae, atque ad iulapii conſiſtentiam inſpiſſatae, partes has conſtituentes, easque numero quinque inter ſe diuerſas, obtulerunt. Harum duae priores, pondere vnciarum vndecim, nec alcalinae, nec acidae erant, reliquae modo plus, modo minus ſalis ammoniaci, per cineres clauellatos atque per calcem ſegregati, continebant. Continuata deſtillatione, quo certius de materia ſubſidente, aut de cryſtallis in liquore concentrato redderetur auctor, apparatum totum refrigeſcere fecit, ſed fruſtra; namque ſub finem modo exigua pars ſubſtantiae animalis ex vrina deſedit.

Exp. 15. Reſiduum in vaſe retorto, repetita vice euaporatum, depuratum, cryſtalliſatione atque quiete, varias ſalium ſpecies, ſal nimirum commune, ſal phoſphoratum et ſodae et ammoniaci, atque ſulphuratum ſodae dedit; id quod per experimenta inſtituta patebat. Primum enim ſal, carbonibus ardentibus iniectum, decrepitat, acido nunc vitriolico iunctum, vapores emittit albos, ſuffocantes, aqua denique ſolutum, affuſa mercurii et argenti in acido nitri ſolutione, album praecipitatum gignit. Secundum ſal oculo armato cryſtallos duplicis formae offert, alias priſmaticas, tetraedras et rhomboidales; alias cubicas, regulari quadrato ſimiles. Priores cryſtalli in lingua ſenſum alicuius quaſi frigoris excitant, cum ſapore vrinoſo, amaro, ſtimulante; calci admiſtae, odorem ammoniacalem emittunt, et aquoſa earundem ſolutio aqua calcis affuſa, materiam albam deiicit, quae calcem phoſ-

 pho-

phoratam, ex decompoſitione ſalis phoſphorati ammoniacalis ortam, conſtituit. Secundi generis cryſtalli, cubicae nempe, aëri expoſitae, puluere albo obducuntur, et in aquoſa earundem ſolutione, per calcem nitratam, phosphorata calx deorſum agitur. Tertium denique ſal, videlicet ſulphuratum ſodae, aqua inprimis ebulliente ſolutum, ex ſolutione mercurii nitrati, ſubſtantiam ſlaueſcentem trahit, calce decomponitur, aëri expoſitum effloreſcit, et puluere carbonum calcinatum ſulphuris odorem emittit.

Exp. 16. Fluidum hoc ſalibus ſuis quam diligentiſſime priuatum, et in balneo maris ad extracti conſiſtentiam reductum, colorem nigrum contraxit. Alia extracti pars, in aqua aeque ac in ſpiritu vini, alia aqua ſolummodo, ſoluebatur, certiſſimo documento, eandem ex ſubſtantia ſaponacea, et materia extractiua conflatam fuiſſe. Idem carbonibus ardentibus iniectum, odorem primo ammoniacalem, poſtea empyreumaticum, ſimilem prorſus illi, qui vegetabilium combuſtione ſentitur, emiſit.

Vrina inſipida alius aegroti diabetici anno 1789. repetita experientia, eodemque modo tentata, easdem prorſus praebuit partes, praeter exiguam ſalis cinerum clauellatorum ſulphurati, et maiorem materiae animalis copiam, quae ex illa colligebantur.

Sic obſeruationes allegatae, vrinam in diabete inſipido, etſi in quibusdam aegrotis quaedam differentia reperiatur, parum tamen elementa ſi ſpectas, ab hominis ſani vrina differre, docent. Neque ſacchari quidquam, neque ſalia neutra baſi terreae iuncta, ſed magnam aquae copiam, parum acidi phoſphorici liberi, ſubſtantiam animalem, interdum ſal cinerum clauellatorum ſulphuratum, muriatum ſodae ſemper, phoſphoratum et ſodae et ammoniaci, ſulphuratum ſodae, atque materiam ſaponaceam extractiuam, continet.

Magnopere igitur vtramque diabeticorum, melleam, ac inſipidam vrinam, inter ſe differre, experimenta Marabelli antea recenſita, ſatis probant. Sed in his non ſubſiſtendum, cum alii ſcriptores ſuperſint, qui de vrinae huius analyſi, quaedam litteris conſignarunt. Priſtinis quidem temporibus, quod vniuerſe monendum duco, diſciplina chemi-

chemica minus culta, clinicos medicos parum de diſquirenda diabeticorum vrina ſollicitos fuiſſe conſtat, quibus nempe ſaporem dulcem animaduertiſſe, geneſin autem atque compoſitionem ignoraſſe, ſuffecerit. Maior cura recentiorum fuit, qui repetitis vicibus vrinam dulcem, haud quidem eo, quo Auctor noſter, ſtudio examinarunt; ſed inſipidae nullam rationem habuerunt, multo minus, neglecta analyſi chemica, MARABELLIO primas hac in re partes vnquam praeripuerunt.

Praeter imperfecta nonnullorum experimenta MATTH. DOBSON, primus, analyſin melleae vrinae nobis reliquit: (*London Medical obſeruations* Vol. V. p. 303. et germanice in *Medicin. Bemerk. und Unterſuch. der Geſellſchaft der Aerzte in London, B. 6. Altenb. 1778. n. 27. S. 248.*). Ex nouem diabeticis, quorum vrina dulcedine diuerſa, eam, quam ex vno aegroto dulciorem habuit, analyſi chemicae ſubiecit. Odore atque ſapore dulcis erat, plerumque pellucida, nullo colore tincta, interdum paullo obſcurior, ſolutioni mellis aquoſae, dilutioris ſimilis, reliquis eiusdem qualitatibus a ſana vrina non diuerſis. Pellucida haec vrina, colore ſubflauo, ſapore dulci, minime vrinoſo, in vaſe aperto, temperie 52 graduum Fahrenh. mox decomponitur, euoluuntur veſiculae, ſuperficiei inhaeret cuticula, ſubſtantia alba in fundum mittitur, odor primum vinoſus, tum acidus, vt acetum vini fortius, tandemque agitata maſſa, putridus percipitur. Nec ebullitione, nec acidis mineralibus coagulum formauit. Poſt lentam euaporationem in duabus illius menſuris ſubſtantia alba, pondere vnciarum quatuor, drachmarum duarum, cum ſcrupulis duobus, ſuperſtes fuit, quae grumoſa, digitis facile conterenda, ſapore ſaccharo impuriori ſimilis, niſi quod dulcedo ipſius in palato refrigerii ſenſum efficeret. Nihil praeterea principii ſalini per elixirium vitrioli acidum in hoc reſiduo apparuit; efferbuit tamen cum acido ſulphuris fortiſſimo, atque vapores, odorem acidi ſalini ſpargentes, eiecti fuerunt. Idem tentamen, aegroto ex parte reſtituto, dum intra 24 horas ſeptem quartarios mittit, repetitum eſt, ex quo manifeſtum fiebat, vrinae vapores odorem vrinoſum fortem emittere, reſiduo nigreſcente, theriacae inſpiſſatae ſimili. Admodum denique ingenioſe Auctor ex ſanguine e vena miſſo tentamina duxit, quibus cruorem quaſi naturalem, vix vlla cruſta obte-

ctum, ſat craſſum; ſerum turbidum, lactis ſero ſimillimum, dulce quidem, minus tamen, quam ipſam vrinam, vidit.

Inde Dobsonvs ſequentia deduxit: in vrina diabeticorum mellita ſubſtantiam, in fermentationem vinoſam et acidam proniſſimam, chylo aut lacti inter ſuccos animales ſimillimam, ſaccharo plenam, contineri, atque hanc materiam ſaccharinam non in organis ſecretoriis parari, ſed ipſi ſero ſanguinis iam ineſſe.

Poſt hunc Franc. Home (*cliniſche Verſuche*, *Krankengeſch. A. d. Engl. Leipz. 1781. Abſch. 16. S. 344* &c.) ea refert, quae Cl. Black, qui magnum inter chemicos recentiores nomen nactus eſt, in examine vrinae diabeticorum chemico reperit; videlicet duos aegrotos, ſeniorem et iuniorem, diligenter obſeruauit, et in utriusque urinam chemice inquiſiuit. Vrina quantitate potum vltra duplum ſuperauit, ita quidem, vt poſt potum quatuor cyathorum, (*Pinten*) duodecim cyathi vrinae ſequerentur.

Reſtant adhuc alia de hiſce tentaminibus commemoranda, quae intra octiduum, noua ſcribendi occaſione officii lege excitati, publice exponamus. Conuertimus enim nos ad id, cuius cauſſa haec praefati ſumus, ad commendandum

VIRVM CLARISSIMVM, DOCTISSIMVM,

CAROLVM DAVIDEM AMANDVM KRIEGEL

OEDERANA - HERMVNDVRVM

MEDICINAE CANDIDATVM,

qui, poſtquam arti chirurgicae primo ſtuduerat, eamque inter milites felici ſucceſſu per plures annos exercuerat, ita praeparatus ad ipſam medicinam perſcrutandam animum appulit. In vtraque academia patria, et Lipſienſi et Noſtra, ſtudia ſua ſtrenue coluit atque in examine, quod praeterito menſe apud Ordinem noſtrum ſuſtinuit, praeclara doctrinae ſuae edidit ſpecimina, vt Eidem, veniam maiores in arte ſalutari honores, Licentiati dignitatem, ambiendi, haud quaquam denegaremus. Quibus vero praeceptoribus hanc ſuam doctrinam gratam debeat,

beat, et quo conſilio per vitae ſcholaſticae et academicae ſtationes iu- erit, ita ad Ordinem noſtrum ſcripſit:

Ego, CAROLVS DAVIDES AMANDVS KRIEGEL, *Oederana-Hermundurus, natus ſum d. 20 Septembr. 1769. Patre* CAROLO BENIAMIN, *Chirurgo vrbis patriae practico, matre* IOHANNA IVLIANA, *e gente* KVEHNIANA. *A praeceptoribus ſcholae Oederanenſis Clariſſimis, Rectore* BEYERO *et Cantore* WILISCHIO, *ad annum decimum quintum probe doctus, paternis in chirurgia vſus ſum inſtitutionibus. Tempore, quod tirocinium poſtulat, rite ſuperato, an. 1788 Dresdam me contuli, ad lectiones medico-chirurgicas, quae ibi habentur, audiendas, nimirum anatomicas et phyſiologicas D.* HAENELII, *chirurgicas* WILDII, *Chirurgi Exercituum Saxonicorum ſupremi, therapeuticas D.* DEMIANI, *materiae medicae D.* TITII. *Biennio in illis audiendis conſumto, an. 1790. munere Chirurgi militaris in legione equeſtri, ponderoſioris armaturae, quae ab Ipſo Sereniſſimo Principe Electore nomen habet, per quatuor annos Dippoldiswaldae perfunctus ſum. Ex his Dresdae integrum annum conſumſi, vt more conſueto ſcholas medico-chirurgicas ibidem adirem. Cum laude an. 1794. e legione dimiſſus Lipſiam veni, vbi a Rectore Academiae Magnifico Dr.* ECCIO, *in numerum ciuium academicorum receptus ſum. Praelectiones iam ibidem in philoſophia, phyſice, chemia, anatomia, phyſiologia, materia medica et practicis diſciplinis, a. Viris Experientiſſimis, Excellentiſſimis,* HEIDENREICH, HINDENBVRGIO, ESCHENBACHIO, HAASIO, PLATNERO, DAEHNIO, HEBENSTREITIO, *habitas, audiui. Anno elapſo ſtudiorum filum Lipſiae disrumpebam, d. 10. Iunii a. c. Vitebergae denuo annexum, et iuribus ciuis academici a Rectore Magnifico, Viro Illuſtri* HOMMELIO, *impetratis, longius diſtraxi in ſcholis medicis Virorum Experient. atque Excellentiſſ. Dr.* BOEHMERI *in therapia generali, et Dr.* TITII

in

in chemia, et medicina legali, nec non Vtriusque exercitationes diſputatorias frequentavi. Quos omnes Praeceptores optimos, de me meritiſſimos, maxima pietate in perpetuum venerabor; cum ipſorum inſtitutioni id debeam, vt publice nunc ſpecimen, quales ſint in hac arte profectus, edere poſſim.

Quem in finem Diſſertationem ſuam a Se conſcriptam: *De Rachitide*, ſub Praeſidio Viri Experient. Excellent. D. GEORGII RVDOLPHI BOEHMERI, Academiae noſtrae Senioris, Collegae Coniunctiſſimi, proximo die Veneris d. 18 Septembr. publico certamine contra Diſſentientium obiectiones defendet. Vt vero hic actus eo ſolemnior euadat, RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, COMITES ILLVSTRISSIMOS, GRAVISSIMOS VTRIVSQVE REIPVBLICAE PROCERES, NEC NON GENEROSISSIMOS ET PRAENOBILISSIMOS VNIVERSITATIS NOSTRAE CIVES, OMNESQVE OMNINO LITERARVM FAVTORES obſervantiſſime rogamus.

P. P. Dom. 15. poſt. Feſt. Trinit. 1795.